



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Excommunicatio secunda. v.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

criminosi ac sceleratis cōmunionem haberent dicens: Vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur vir de medio vestrum, id est, separetur à vestro consortio, qui tale scelus operatus est. Et adiungit: Ego quidē absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicauit vt præsens eum qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi congregatis vobis in vnum, & meo spiritu cum virtute domini mei Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis. Et post pauca: Scripsi vobis, ne commisceamini fornicariis. Et statim infert: Si is qui frater appellatur, id est, Christianus, fornicator est, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et alibi: Auferte malum ex vobis. Et, infidelis si discedit, discedat. Vna enim ovis non orbida, omnem gregem contaminat. Et modicum fermentum totam massam corrumpit, & plerunque vnum membrum putridum totum corpus inficit. Et ideo tam perniciofa pestis à corpore Ecclesiæ radicatus euellatur.

Excommunicatio secunda. Cap. V.

Dominicus igitur atque apostolicis informati præceptis, iudicio patris, & filij eius dñi nostri Iesu Christi, & spiritus sancti, & autoritate & potestate apostolis apostolorumq; successoribus à Deo concessa, vna vobiscum prædictū pessimum virū à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ excludimus, & ab omni societate & cōmunione Christiana separamus, separatūque esse in ætèrnum decernimus, id est, & præsentī seculo, & in futuro. Nullus ei Christianus aue dicat, aut eum osculari præsumat. Nullus presbyter Missam cum eo celebrare audeat, vel sacrosanctum corpus & sanguinem domini tradere. Nemo ei iungatur in cōsortio, neque in aliquo negotio. Et si quis ei se sociauerit & communicauerit eius operibus malignis, nouerit se simili percussum anathemate, his exceptis qui ob hanc causam ei iunguntur vt cū reuocent ab errore, & prouocent ad satisfactionem, nisi fortè resipuerit, & Dei gratia inspirate ad pœnitentiæ remediū cōuersus fuerit, & digna emendatione Ecclesiæ Dei quā læsit humiliter satisfecerit.

Item tertia excommunicatio. Cap. VI.

Canonica instituta & sanctorum patrum exempla sequētes, Ecclesiarum Dei violatores, videlicet, raptos-

Ex eodē concilio.

Ex cōcil. Turonē. cap. 2.